

24
UTILITATEM
ARTIS CHEMIÆ

AD
REM PUBLICAM IPSUMQUE PRINCIPEM
REDUNDANTEM
ORATIONE ANNIVERSARIA

DIE NATALI
SERENISSIMI
ELECTORIS
MAXIMILIANI
JOSEPHI

DUCIS UTRIVSQUE BAVARIÆ, COMITIS
PALATINI RHENI, ELECTORIS, REL.

D. XXVIII. MARTII MDCCCLXIV.

INTER
PIA ACADEMIÆ SCIENTIARUM VOTA
PRO
DOMINI CLEMENTISSIMI
SALUTE

EXPONIT
JOANNES ANTONIUS DE WOLTTER,
CONSL. ELECT. INTIM. PROTOMEDICUS.



MONACHI,
TYPIS ACADEMICIS.

ILLUSTRISSE
DOMINE PRÆSES!

**MEMBRA ACADEMIÆ SCIENTIARUM
CLARISSIMA!**

**AUDITORES OMNIS ORDINIS HONORE ET OBSEQUIO
PROSEQUENDI!**



Quoties excelsas virtutis bavariæ a tot seculis imagines, non purpura magis, quam sapientiæ tum civilis, cum literatæ, laude coruscantes intueor; id quod semper facio, ubi magna & perfecta exempla meditari juvat: toties inter cetera fulgentissima cœli politici sidera, quæ divinis in hac gente radiis emicuerunt, omnium mihi maxime attentione atque admiratione dignissima occurrunt MAXIMILIANI I. Parentis, & FERDINANDI MARIÆ, filii, nomina, non nascendi tantum felicitate, sed & meritorum gloria serenissima.

Quanquam enim totus Bavaricorum Principum chorus in eo potissimum, velut Sol meridianus, resplenduit, quod Principes exhibuit imperatoriæ atque civilis prudentiæ laude magnificentissimos, illud tamen serenissima illa Principum biga peculiare habuit, quod ad excelsa quævis nata, cum sapientia & virtute esset ornatissima ejusque per totam terrarum suarum gubernationem radios undequaque distribuisset, artium tamen & scientiarum ad populi felicitatem exactarum

laude omnes alios superaverit. Testem damus Virum summum in aula bavarica superiori seculo Joannem Joachimum Becherum, qui adhibito Hispanorum testimonio de MAXIMILIANO I. effato * professus est, eum ob œconomicam & politicam prudentiam germani SALOMONIS titulum meruisse, non quod prudentissime tantum in tam longinquo patriæ, germaniæ, bello consilio, re, fortitudine, auxilio ei adfuit, sed quod etiam Salomonis instar ad res naturales ita attendit, ut de earum scientia & pulchritudine discernere atque iudicium interponere optime nosset, magnificis autem artis operibus hanc sapientiam speciminibus publicis demonstraret. De filio FERDINANDO MARIA idem præclarus ille rerumque huc pertinentium intelligens testis est ** eum non pragmatica tantum & politica sapientia SALOMONEM esse bavaricum, sed eruditionis quoque naturalis ac scientiæ physiciæ patrocínio meruisse, ut omnibus, qui eo tempore floruerunt, Principibus gloria & fama præferretur. Ille nempe probe gnarus naturalem doctrinam plurimum ad subditorum felicitatem facere, ad juvandas has disciplinas rerumque naturalium studia omnem operam adhibuit & laudatissimo instituto scientiarum mathematicarum, physicarum, chemicarum theatrum regiis sumtibus apparavit, laboratorium construxit, quale tunc videre non licuit germaniæ, augustum omnibusque requisitis materialibus instructissimum, in eoque laudatum Becherum, incomparabilem naturæ per ignem chemicum interpretem, diligentiam exercere suam, proposito insigni præmio, iussit *** ut sapientiæ naturalis, & imprimis subterraneæ, eruditio ad subditorum utilitatem in aprium protracta in electoratu bavarico primas teneret.

Quo

* Vide Præf. Physicæ subterraneæ.

** Ibidem.

*** Vide vita viri hujus celeberrimi,

Quo incomparabilis Principis studio quantum felicitatis ad Bavaricas terras accerferit, sapientissima rerum naturalium, quæ hodie obtinet, dispositio loquitur. Secuti sunt Parentis vestigia posterit & in id Regia fere liberalitate sunt connisi, ut imprimis ea naturalis scientiæ pars, quæ igne chemico discitur, rato talo confisteret & confirmaretur. Cujus rei cum vos, auditores, ipsi testes oculati & auriti sitis, Testimonia plura adducere necesse non puto, siquidem unum illud, quod omnibus aliis anteponendum existimo, sufficiat, SERENISSIMUM ELECTOREM, hodie tanta felicitate Terras Bavaricas regentem, non modo atavam sapientiam gnavo pede prosequi, sed & in id curam convertere, ut sapientia naturalis, maxime, quæ chemica diligentia subteraneos Thesauros eruit, floreat & augeat. Cujus Testimonium luculentius non existare credo, quam, qui hoc tempore hæc quidem mysteria in hac terrarum parte mira felicitate promovet atque auget, Illustrissimum atque Excellentissimum Dominum Sigismundum Comitem de HAIMHAUSEN, rebus metallurgicis præfectum, & chemiæ Tutorem in Bavaria optimum. Ille enim, qua est animi ad excelsa quævis parati constantia, divitias Bavaricæ subteraneas eruere, exaltare, ad artes elegantissimas traducere & in distitas provincias dispergere & unus novit, & ad Principis patriæque felicitatem convertere generoso ausu satagit, quem in hujus orationis limine præprimis commemorare fas est, quod hujus incomparabilis viri, quem HERMETEM Bavaricæ recte dixeris, auctoritate, atque commendatione & exemplo potissimum effectum est, ut SERENISSIMUS PATER PATRIÆ cum de condenda Academia scientiarum Consilium cepisset, suisque terris aliarum provinciarum commoda & gloriam vindicare constituisset, nobilem hunc Senatum literarium ad hæc Terrarum Bavaricarum pignora a benevola naturæ manu suppeditata respicere jussit, primum que hunc ex ministris suis virum nulli secundum Præsidem

Academiae praefecerit & statuta academica lege eo curam intendi voluerit, ut chemica diligentia thesauri naturalis terrarum nostrarum explorentur atque ad emolumenta publica transferantur. Fieri id ad insignem Bavariae utilitatem, habitus istius disciplinae ad reliquas omnium optime evincit. Et hanc quidem in solenni hac *panegyri* Vobis, Viri Summi, auditores honorandi, demonstrandi animus est, evicta, *quae ex studio chemico* ad rem publicam ipsum que Principem vedundat utilitate multifaria, ut vel ex hac ipsa disceptatione discamus, quantum intersit, laudatissima exempla sequi, ex promotis pomœriis artis divinae patrios thesauros multiplicare insigniter. Vos animis auribusque favete, & dicenti benevolentia adeste!

Expositurus, Auditores, emolumenta ex chemiae laboribus & improbo ejus artis antiquissimae studio, si id oneris mihi imponeretur, ut, quae ad hoc argumentum plene & dilucide tractandum afferri possunt, in hoc virorum doctorum concessu exponerem, alium ego locum & longius, quam praesentem horam, tempus postularem. Tantus enim artis hujus divinae usus est, tam longe lateque patentes ejus limites, tam multiplex in distribuendis benignae matris, naturae, muneribus emolumentum, ut dies magis atque vires, quam argumenti materies, enarraturo effugiant. Ab hac autem prolixitate cum & instituti praesentis ratio, & vestra, Auditores, eruditio in his omnibus praecclare versata, me absolvat, summis tantum capitibus duobus chemiae habitum & relationem ad utilitates humanas summatim & in genere complectar, deinde per lancem faturam ea vobis ex speciali argumenti chemici consideratione adducam, quae convincere nos queant, pulcherrime cum emolumentis Patriae &, quae inde redundat, gloria & utilitate Principis agi, si gnava in id philosophorum industria incumbat, ut chemiae limites modo philosophis veris & prudentibus digno
ampli-

amplificentur & ad majora incrementa nobilissima ars promoteatur. Chimiae vero utilitatem latissime patentem dum commemorare animus est, non hoc nomine ad solam metallurgiam, quod multi faciunt, respicio, nec famosam artem mutandi metalla viliora in pretiosiora ipsique aurum jam vobis commendare mens est, qua sacra auri fames nequitia impostorum toties homines, maxime Principes, decepit, quam invidiam ab hac nostra tractatione deprecamur, sed *universam illam sapientiae naturalis partem intelligimus ejusque usum vobis atque emolumenta laudamus, quae corpora naturalia omnia sensibus subiecta atque patientia considerat, explorat, in interiorum partium constituentium naturam penetrat, nexumque dispositionis corporum naturalium detegere & resolvere, vel coagulare quoque partium principia satagit, ut sensibus tandem & repetito experientiae studio & attentione patefiant & ad usus hominum ipsiusque terrae nostrae augmentum adhiberi possint.* Qua in re cum instrumentis & operatione, non vero speculatione sola ad incerta & precario assumpta principia theoretica atque hypotheses nugatorias ac inanes recurrente, opus sit, ea potissima artis chemicae occupatio est, ut ignis atque instrumentorum partim activorum, partim passivorum usu vario rectoque istum finem consequatur, quod eo magis sibi spondet philosophus per ignem, quo magis ille universale est instrumentum, quod ad cuncta fere opera sua constituenda adhibet. Magnum itaque & late patentem natura nobis campum aperit ars chemica, quae totum terrarum orbem absconditis potentiae & sapientiae divinae thesauris turgentem humano generi sistit considerandum, tentandum, explorandum, & ad usum suum transferendum. Ex quo apparet clarissime ipsum objectum, quod vocant, chemiae &, quae circa illud finis causae obtinendi versatur, industriam necessario probare, non sine insignium emolumentorum expectatione hanc se artem ingenii humanae sagacitati

citati & diligentiae commendasse, nec solam curiositatem & sciendi res abditas & latentes cupiditatem scopum ejus artis esse, sed ipsum multiplicem usum, humani generis necessitates juvare aptum, eam cum societatis humanae multiplicatione primum introduxisse. Cujus rei testis nobis ipse Historicus Divinus MOYSIS est, THUBALCAINUM tradens *trahendi aeris ac ferri rationem atque artem* invenisse. Narratorem habemus omni exceptione majorem, ipsum sacrum Historicum, cui antiquissimam orbis primi historiam divinitus traditam debemus, tradentem, TUBALCAINUM, filium LAMECHI, hominem ab ADAMO generatione octava distantem, æs ferrumque ita parare novisse, ut utensilia atque necessaria humanae vitae instrumenta maxime societati, quæ tunc una obtinebat, domesticæ atque oeconomicæ inde conficeret. Quamvis enim minime negaverim, vel casum, vel revelationem quandam divinam, humani generis necessitati prospecturam, prima hujus studii elementa TUBALCAINO tradidisse; certum tamen ipse puto, & Metallurgiæ periti norunt ac fatentur, non sine multa experientia, ad certa principia practica revocata, fieri potuisse, ut æs fossile, sua ex matre extractum tractabile fierit, multumque laborem multoties repetitum poposcisse, donec constiterit, quo pacto malleo illud & incudi tractandum possit exhiberi, si verum est, quod celebris nominis metallurgiæ scriptor, GEORGIUS AGRICOLA, testatur, æs atque ferrum duodecies excoqui desiderare, ut sub malleo commode duci queat. Quæ etsi hodie vel fabris rusticis nota sunt attamen non potest, artis chemicæ rudimenta utilissimam artem separandorum atque fundendorum metallorum hominibus tradidisse. Ast ab ea demum innumera humanae vitæ ac societatis commoda enata sunt, cum sine hoc ferri usu laboribus innumeris se subtraheret eventus felicitas ad hominum vitam & usum necessaria. Testatur id nationum quarundam barbararum indigentia, a peregrinantibus, maxime in quibusdam Afri-

102/803
æ regionibus , detecta , quæ æris ferrique tractandi usus
ignaræ miseram vitam egerunt , donec ab Europæis ho-
minibus & ferrum chalibemque acciperent , & ejus funden-
di tractandique usum discerent. Et hæc quidem prima tan-
tum Chemiæ rudimenta fuerunt , instrumento ignis tantum
humanæ utilitati commodantia , quid non de aucta metal-
lurgiæ cognitione , quam inter chemicas operationes anti-
quissimam esse , Mythologia Asiatica , Ægyptiaca , Græca
commemoratur , & tradita fabularis *Vulcani* historia docet ,
dicemus , quam a canis istis seculis industriam hominum
exercuisse historia artis hujus , alibi fuscè enarrata , & impri-
mis ab OLAO BORRICHIO , multa doctrina occupata * nos
edocet ? quid non demonstrari posset de reliquis præter ignem
elementis chemicis activis & passivis & cum Mechanica ,
Optica , Physica , reliquisque disciplinis philosophicis con-
nexis , quæ usus & exercitatio hominibus vetustissimis ape-
ruit , ut corpora naturalia per varios processus dissolveren-
tur , aut conjungerentur , aut alterarentur , aut purificaren-
tur ? Rationes autem , quomodo & quare operationes &
effectus tales producerentur , edocuit attenta meditatio.
An hæc cuncta , tantam improbi laboris patientiam , tan-
tumque temporis pretiosissimi impendium postulantia , innu-
meris hominibus & integris fere gentibus , maxime in re-
gionibus orientalibus persuaderi potuissent , ut tota philo-
sophorum agmina his sacris invigilarent , nisi maxima utili-
tas & populorum emolumenta atque nationum inde emer-
gentia calcar addidissent ac vehementi eos stimulo incitaf-
sent , ut hujus artis studio se traderent , sine cujus usu &
industria marcescit & tantum non extinguatur humanæ vitæ
commoditas ? Poteram , si id in præsentia agerem , dedu-
cta pulcherrimæ artis chemicæ historia pluribus demonstra-
re & ex eo quoque evincere , insignibus prorsus emolu-
men-

B

* Vid. tract. de Origine & progressu chemiæ conferendo tamen
cum *Hermano Conringio*.

mentis eam esse uberem, quod purpuratorum virorum ipso-
rumque imperantium attentionem, curam, & adhibitas
immenfas impensas, maxime apud Ægyptios, meruerit, nisi
extra oleas nunc vagari molestum esset, quare ex philoso-
phiæ Historia discendum relinquimus. Possem id multis
vetustissimarum gentium exemplis demonstratum dare.
Possem ad Seres Sinasve, ad Chaldaeos & Persas,
ad ipsos Hyperboreos, & ad Patres nostros, Celtas,
provocare & imprimis Terrarum septentrionalium studia in
theatrum producere, quum Hyperborea Mythologia in Ed-
dis hodie superstes plurima testimonia exhibeat, artis che-
micæ & præcipue Metallurgiæ mysteriis stupendos effectus
prodidisse artifices chemicos, adeo, ut non tantum inter
spiritus medios ob stupenda artis Miracula fuerint relati, sed
& incredibilia & humana forte majora effecisse, posteritati
sit traditum. Id quod illis ignotum esse non potest,
quibus ex Mythologia Celtica & græca una *Abaridis*, ho-
minis Scythæ, historia non ignota est.

Fuitque in gente ista septentrionali Nanorum familia,
Brukerorum, qui fundendis & ad miraculosos effectus ap-
parandis metallis conficiendisque inde instrumentis novis &
rarissimis adeo excelluerunt, ut meruerint in regia deorum
divinis ministris accenferi. Quæ quidem fabulosa esse omnia
novimus: at id tamen rerum veterum gnaro luculenter pro-
bant, in cana illa vetustate gentium Hyperborearum & Cel-
ticarum, quibus nos quoque Germani origines debemus,
certum usuque expertum fuisse fundendorum metallorum
usum & insignem ad vitam humanam accommodationem
maximos jam tum Philosophis atque artificibus, qui per
ignem dicuntur, honores paravisse.

Mirum igitur non est, infelicibus illis & ferreis secu-
lis, quibus omnis disciplinæ honor & elegantia emarcuit,
præ-

præstantissimas tamen artis chemicæ operationes viguisse, & vixisse in Anglia, Germania, Hispania, seculis mediis ROGERUM BACONEM, ARNOLDUM VILLA-NOVANUM, RAYMUNDUM LULLIUM, ut alios taceam, qui ad sacra hæc Eleusinia admissi propter præstita artis chemicæ Miracula, & promotam inde humani generis felicitatem æternam nominis gloriam sunt consecuti. Itaque necessario evenit, ut post restitutum artibus atque imprimis Philosophiæ honorem mature per omnes Regiones ingenio cultiores virorum innumera doctissimorum agmina prodierint, qui hac artis utilitate illecti ad intimam fere naturæ cognitionem penetraverunt, his que mysteriis confisi ad aulas Principum & imperantium ausi sunt progredi, & demonstrata ista artis chemicæ præstantia atque utilitate imperantibus eorumque administris purpuratis persuadere sunt conati, ut Regiis sumptibus hos labores fulcirent, & societatibus integris, eruen- dis per Chemiam naturæ Mysteriis ad terrarum suarum felicitatem destinatis, succurrerent; quo factum est, ut hodie, quod felix nostrorum temporum fatum, magnopere omnes fere artes & scientiæ physicæ & œconomicæ insigni & incredibili utilitate ex hoc fonte beentur, plenique sint societatum philosophicarum & philosophorum commentarii physici earum inventionum & mysteriorum detectorum, quorum plerorumque aut matrem fuisse, aut saltem obstertricem chemiam, apud omnes in confesso est.

Verum ne exemplo tantum Auditores summo opere vene- randi, exoterica ratione, quæ tam splendido virorum do- ctissimorum concilio non digna satis videri queat, vobis de- monstrasse videar, artem chemicam ob insignem utilitatem & parata vitæ humanæ præsidia atque usum omnibus, ma- xime Principibus, quorum providentia regiminis commu- nis salus nititur, esse commendandam, ad alterum orationis meæ caput progredior, & esotericis seu intrinsecis rationi-

bus ex rei ipsius natura & habitu ad reliqua hominum studia, disciplinas & artes relato probabo, utilius fere nihil esse ista arte, si scientiarum pomœria, si emolumenta publica, si subditorum res domesticæ & œconomicæ, si artium incrementa, & qui ex his emergunt, Principum thesauri sint considerandi.

Monendum autem hic serio est, nihil mihi commercii esse, dum de natura Chemiæ humano generi & subditis imperantium maxime proficua dissero, cum thraſonismo nugivendolo artes, nescio, quas, occultas & Myſteria supra rerum naturam posita crepantium, a qua superbia dicam, an animi levitate, non semper sibi caverunt, qui chemia duce in naturam rerum penetrare sunt aggressi, & a quo humani intellectus pruritu nec LULLIUS, nec PARACELSUS, nec HELMONTIUS, nec SYLVIVS satis sibi sollicitè caverunt. Habeant isti objurgationes non artis castitati, sed lascivo & intemperanti arrogantis ingenii audaciæ, adscribendas! Quare nec objectiones illas curamus, quæ infami impoſterum catervæ artis Chryſopœëticiæ * famam jactanti & toties in humani generis felicitatem peccanti opponuntur, quæque propter chemici nominis abusum arti in se innocenti & salutari, graves multoties fuerunt atque noxiæ. Quanquam enim summi rerum naturalium scrutatores non audeant jactatæ commutationis metallorum evehendique ad purissimam auri perfectionem possibilitatem omnem negare, virique in his sacris depingendis maxime cauti atque sobrii, quales fuisse BECHERUM, HELVETIUM, BOERHAVIUM, STHALIUM, aliosque constat, modestia ducti, non omnem ejus rei potestatem rejecerunt. Fatemur tamen candide, reclusa mansisse hætenus ista Myſteria hominibus non sine divinæ providentiæ consilio, quæ injuriam sine dubio hanc artem in humanum genus esse perspicit & thesauros suos ad adhibendam avaritiæ, luxuriæ, & intemperantiæ audaciam producere in propatulum sapien-

* Pars Spagyricæ Chemiæ.

sapienter recusat. Quare nihil in hoc nostro argumento nobis obstare putamus virorum doctorum consultationes: an Alchemistæ in Republica sint tolerandi? quorum mentem & consilium disertissimus olim BUDDEI calamus exposuit! Non ex his scaturiginibus aurum thesaurosque promittimus, quos in recto sobrioque Chemiæ studio atque labore polliceri Nos sine his posse secure credimus atque statuimus. Recte & prudenter celeberrimus „BOERHAVIUS* monuit, certos artis „hujus fines præscribendos esse, neque ultra hos esse salientium, ut sincera eluceat veritas omnisque evitetur error. „Ex animali, vegetabili, & Fossilium regno definitam operationem chemicam semper educere effecta determinata „suisque distinguenda quam accuratissime signis; an vero, „qualia profert, talia in re ipsa ante operam hanc exstiterint, „haud semper recte decidi, nisi ex aliis iteratis rerum argumentis &c.&c.„ Et de his quidem in præsentī nobis sermo est. Hanc scientiam chemicam commendamus, quæ cognita experimentorum multoties repetitorum fide rationibus exquirat, cuncta inter se comparat omnia ad naturales causas revocat, & instituta inter se comparatione de rerum naturalium intrinseca dispositione argumentis probe ponderatis judicat, ut de usu earum ad communem felicitatem judicium possit fieri. Sobrium hunc & prudentem chemicæ artis usum vobis, Auditores honorandi, solum nos commendare iterum iterumque monemus, & hoc demum pacto ISIDIS velum posse utiliter detrahi, sumus persuasissimi.

Constabit hoc ad speciales divinæ artis partes cum reliquis scientiis atque artibus comparatas transeuntibus, & digito quasi (prælixos enim nos esse nec tempus, nec locus, nec patientia quoque vestra permittit) argumenti amplissimi summam indicantibus, quæ utilitas inde possit refurgere, si Chemiam rite adhibitam ad usus veros revocemus.

B 3

Non

Non enim *simplicia* tantum corpora naturalia Chemia examinat & homogeneas inter se partes considerat, sed *mixta* quoque, qualia pleraque in naturæ regno triplici occurrunt, quæque partibus heterogeneis inter se contemparata sunt & conjuncta, quæ cum divinæ sapientiæ consilio dispersa sint in regno vegetabili, animali & minerali, facile inde rectum fieri potest judicium, patentissimum naturalium rerum campum suis operationibus emetiri Chemiæ artificium, totque naturam rerum cumulare divitiis, ut felix ille censendus sit, qui recte noverit ex his omnibus utilitatem capere, ad humani generis felicitatem redundantem.

Nulla autem in re magis eam conspicuam se prodere quam in *Physiologia* cum medica tum philosophica, arctum, quod inter utramque scientiam intercedit, commercium satis probat. Inde vero eximius usus Physicus Chemiæ exsurgit, tanto pluri faciendus, quanto propius ad rectam physicæ considerationis constitutionem veramque conformationem totum sanitatis humanæ negotium videtur vocari posse. Cognita enim rerum naturalium in corpore organico dispositione partibusque fluidis pariter atque solidis, cognita rerum, quas non naturales vocamus, internis partibus, quibus constant, factisque ad eam detegendam experimentis non tantum mechanicis, aërometricis, hydraulicis, sed adhibitis potissimum igne, menstruis atque experimentis chemicis quoque. O quam pulchre partes omnes humanum corpus constituentes & mutuo impulsu atque operatione se prodentes deteguntur, corporumque externorum in alia corpora, maxime humanum, agentium affectiones in lucem protrahuntur! Enascitur inde historia naturalis tum totius mundi innumerabili rerum usui patens, tum historia corporis humani partiumque solidarum & fluidarum, earumque mutui complexus & actionis, in qua recte determinanda potissimum artis medicæ apicem constitui illi norunt, qui *Medici-*

dicinam rationalem didicerunt. Non pauca, fateor, detexit experientia, multa nos docuit his in rebus attentio & curiositas, quædam forte nobis alia cogitantibus tradunt se ipsa & in usus adhiberi monent: Ast, ut interna rerum naturalium conclavia referentur, id, certum est, non fieri posse, nisi clave chemica. Qua in re ne prolixi simus in argumento prolixo, ad Medicorum filios artem medendi non Empiricam, sed *rationalem* exercentes secure provocamus. Possem id ad omnes actiones physicas applicare, & ostendere, etsi multâ naturæ opera mechanicis, hydrostaticis, hydraulicis observationibus assumptis principiis affectionum corporum generalibus explicari possunt, nunquam tamen totum physicæ experimentalis corpus, & ne corporis quidem humani fabricam recte & utiliter, atque solide exponi posse, nisi Chemiæ beneficio illi corporum effectus designentur & in luce clara ponantur, quæ ex singulari corporum indole atque natura pendent, nisi insita vis corpori cuique a providentissimo creatore particularis in apricum prodatur. Verum hæc prolixiora a meo instituto sunt & in tam brevi temporis, quo hæc circumscribitur panegyris, circulo latius describi nequeunt, nec ignota sunt, Auditores, vestræ eruditioni, historiam naturalem ex actis doctissimorum virorum multoties rimanti, dicta quoque & demonstrata à peritissimo, quem Chemiæ adeo mature ereptum dolemus, HUNDERMARKIO * &, qui ei successit & nunc Cathedram chemicam in Academia Lipsiensi pulchre ornat ANTONIO RIDIGERO ** qui non melius novum se munus auspiciari posse judicabat, quam si publica demonstratione ostenderet Chemiæ universalis usum in physiologia medica generali magnum esse & necessarium. Quo in argumento
cum

* Vid. diss. *de sulphure anodyno ex oleo vitrioli vinique commixtis.*

** Vid. Programm. *de Chemiæ universalis usu in Physiologia medica.* Lips. 1762.

cum anno demum superiore mira doctrinae jucunditate fuerit versatus, plura scire sitientem ad ejus fontes jucunde salientes remittimus. Adeo vero ipsa res luce propria radiat, ut rerum quoque physicarum & medicarum mediocriter periti colligere possint, cognitis ex Chemiae observationibus humani corporis partibus, functionibus & facultatibus essentialibus, earumque causis, mixtione, compositione & proprietate, recte tunc demum totum physiologiae corporis humani systema posse intelligi, recte & acute morborum origines, nativitatem, complexum, symptomata, signa, indolem & eventus posse determinari, recte & prudenter solidarum & liquidarum in humano corpore partium vires, irritabilitatem, tonum, motumque tonicum posse ponderari, & definiri humorum inter se differentiam, proportionem inter vires partium solidarum moventium & fluidarum movendarum molem, ipsam quoque sanguinis circulationem & naturam systoles atque diastoles cordis & arteriarum, ex partium constitutione chemica posse determinari & ad leges naturales atque mechanicas expendi, quam unicam ego viam puto sobrie de humana sanitate &, quae ei providet, therapia rationaliter philosophandi. Quae tamen omnia cum ad artis medicae forum pertineant, & a Medicinae *rationalis* studio non ignorentur, decurrente orationis tela & ad exitum properante fusius hoc loco tanquam concessa explanare superledemus. Nihil itaque dicam de speciali artis salutaris argumento, nihil de *Victus*, cibi potusque exploratione medica, qui, utrum salutaris, nec ne, & quomodo salubriter praescribendus atque in usum vertendus sit, non, nisi cognita prius esculentorum & potulentorum natura, partibus, fermentationis modo, & mutatione, recte determinari potest, nec corrigi, nisi Chemia docuerit, in quodnam effervescentiae, fermentationis & corruptionis genus victus genera varia & indolis diversae agantur in definito gradu motus, quo assumtus victus exercetur, vel in propria

pria cuique temperatura. Præteream, necesse est, inevitabilem necessitatem chemicæ experientiæ solidique, quod inde exfurgit, iudicii in *Uroscopia*, quæ, nisi cum *Empiricis* & *seplasiariis* nugari & fumos ægrotis vendere velis, utilia & necessaria non deteget, nisi lotii colorem, odorem, saporem, copiam, contenta, particulas innatantes & subsidentes, earumque indolem ob aquæ, falis, olei, terræ præsentiam discernere & ad abscondita humorum, sanguinis, lymphæ, aliorumque succorum vitia, habitum, emendationem *chemia* doceat. Definiant hæc medici, quorum maximopere interesse puto, ut arctissimo cum arte sua conubio *chemia* jungatur, certus, eo doctiorem & feliciorem fore Medicum, quo peritiorem se demonstraret chemicum. Illud tamen, antequam salutaris artis campum desero, indictum prætermittere nequeo, *pharmaceuticæ medicæ* potissimam fere partem esse chemiam, & præcipue hujus artis beneficio non notas tantum remediorum vires fuisse cognitæ, sed detecta etiam plurima nova, singularia, & eventu efficacia, quæ sine *chemiæ* manuuctione ignoraremus cum ignarissimis. - Testes iterum in scenam produco scho- lam Paracelsicam, quæ languentis & inertis methodi Gale- nicæ & Arabicæ pertæsa, cum ad chemiam confugisset, nova, insolita, præstantissimosque eventus producentia de- texit & in usum adhibuit. Qua de re eum CROLLII com- mentarii * omnium manibus terantur, multa dicere nihil attinet. Ea vero temporum nostrorum fuit felicitas, ut emendatis, si quæ securius igne chemico parata medicami- na adhibuissent PARACELSI sequaces, secura magis atque præ- stantissima morbis tristes eventus ominantibus medicamenta præeunte, face chemica opponerentur. Quod ne exemplo careat &, quid valeat chemica operatio in pharmaceuticis, pateat, ad unum *liquorum mineralium anodynum* ab ILLUSTRIS HOFFMANNO chemicæ artis ope inventum provoco; quod

C

in

* Oswal. Crollii *Basilica chemica* multoties recusa.

in omni dolore spasmodico innumeros dolores vicissitudines
secum trahente remedium atrocissimis symptomatibus op-
posuit felix ille Medicus & alter nostri seculi HIPPOCRATES.
Hunc quis docuit ex vini vitriolique oleis inter se com-
mixtis sulphur producere anodynum, idque magno solatio
doloribus atrocissimis opponere, nisi *chemia*?

Taceo salium theoriam, non nisi chemicorum experi-
mentorum ope instituendam, ut intelligatur, quo pacto so-
lutiones in humano corpore istis mediantibus fiant, sanitas
eorum usu restituatur & humores glutinosos resolvendo
confirmetur, de quo chemiæ usu multa monuit, quem ere-
ptum jam Medicorum choro dolemus, CELEBERRIMUS HE-
BENSTREITIUS. * Alia Medicorum filiis non ignota, qua-
lis est *Corticis Peruviani Historia*, mirandorum effectuum
causas chemico artificio describens, & similia, prætermit-
timus, tangam tamen unam, quæ ad mixtum medicinæ ra-
tionalis genus pertinet, *aquarum salutarium Thermarum-*
que theoriam, eo, quod tum ad naturalem historiam, tum
ad therapie considerationem, debet referri.

Tametsi si vero divino hoc Naturæ dono ægros frui ca-
sus primo & experientia docuit, accedente demum naturæ
sacerdotum attentione & industria: horum tamen adhibita
ad detegendas partes istarum aquarum medicatarum consti-
tutivas mediis chemicis, maxime reagentibus, cura & ite-
rata explicatione minerarum, quibus tinguntur, factum est,
ut rectus earum usus & sperata inde ægrotorum salus, uni-
co sæpe hoc remedio patens, restitueretur. De qua egre-
gia chemicæ operationis utilitate ne ad eos provocemus,
qui in præstantissimo argumento diligentiam atque doctrinam
suam dederunt probatam, inter quos supra laudatus FRID.
HOFF-

* Diff. de salium actione ut causa sanitatis ex rationibus Chemi-
cis. Lips. 1756.

HOFFMANNUS regnat, ipsa nostra Bavaria in causa est. Huic enim provinciae quum divina benevolentia hos etiam thesauros naturales largiter tribuerit & fontes suis incolis aperuerit salutari operatione nullis aliis cedentes, quos ad publicos usus accommodavit optimorum Principum pietas atque munificentia, iussi quoque sunt Medici in vires & facultates eorum inquirere, quod cum sine *chemiae* auxilio fieri non potuerit, enatae inde sunt fontium salutarium thermarumque Bavaricarum historiae. Legimus enim KRIGERI *historiam fontis Soterii Oberlauterbacensis in praefectura Schrobenhusana Bavariae Superioris*, *Descriptionem medicam Thermarum ferinarum in Adelhoza prope Traustenum*: itemque fontis medicati *Mariafontani prope Mochingam in praefectura Dachaviensi*, qualem etiam THIRMAIRIO debemus, editam unam, alteram vero inter anecdota in bibliotheca *sattleriana* delitescentem; BOPPI *trifontem Adelholzianum antipodagricum*; GEIGERI *fontigraphiam Benedicto-Buranam*; MAYERI *descriptionem Thermarum ferinarum Hohenstattensium in Bavaria inferiori prope Cellam principum*. * Quibus quam ego iussu SERENISSIMI ELECTORIS, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, *Descriptionem Acidularum Diezenbacensium in Comitatu Warthenbergico* adjecerim, quibusque *chemiae* auxiliis naturalem praestantissimi fontis historiam delineaverim, ipsi nostis.

Exadytis *chemiae* physico-medicis, physiologicis, pathologicis, therapeuticis ad nova ejus conclavia properanti *chemiae aeconomicae* museum praere reliquis meis se offert oculis, cujus eo magis consideratione digna est utilitas, quo latius ad universae patriae utilitatem redundat. Quid enim non sperabit Princeps de *salinis* recte celebratis & non usu tantum mechanico, sed artis quoque *chemicae* subsidiis ita

* Plerosque recenset Grunenwald. in *Albo Bavarico jatrico*. pag. 8. 29. 42. 84. 124.

tractatis, ut puritate, nitore, efficacia cum aliis fontibus falsis non certare modo, sed & superare eos possint. Quod demonstrare vobis, Auditores humanissimi, eo minus opus esse reor, quo Bavariae provincias præ aliis multis cumula- vit, vobis quotidie est ante oculos, & experientia novi- stis, quot cælestis benignitatis testimonia ex his salinis Ba- variae non ad clementissimos tantum terrarum harum domi- nos eorumque nummophylacia reditusque, sed & ad omnes fere subditos miris modis ex eis sustentationem quærentes redundant. At quod dignum chemicæ artis attentione ob- jectum sal est! quo non solum ad usum culinarium nemo potest carere, sed usu etiam chemico, quo plurimum va- let ad corporum compositionem, quibus continuitatem te- nui insinuatione conciliat, tum ob figuras suas perpetuas, distinctas & singulares, quod non nemini observatum, tum ob qualitates & virtutes alias, quæ non in salinis tantum manuali opera deteguntur, sed ex aere quoque, quin omnibus fere corporibus naturalibus ex ipso rore, pruina, nive, aqua, pluvia dulcibusque fontibus, che- mia potest extrahere & ad præstantissimos usus tradu- cere, unde nobilissimum objectum chemiæ solet consti- tui. Quæ si rectum tractandi modum exhibeat, ipsi ex re tanta naturali proventus plurimum possunt augeri. Ta- ceo salium aliorum considerationem & applicationem che- micam, de his enim copiose dicere, esset commentarios chemicos scribere, quod à nostro scopo prorsus alienum est, qui hic Oeconomicam tantum utilitatem respicimus, quam salia tam acida, quam alcalia, fixa non minus, quam volatilia, naturalia æque, ac artificialia, quorum omnium ingens numerus est, terras metallicas, vitrescibiles, calca- reas, aliasque varias secum commixtas habentia, ideoque inter se differentia, quanquam ab uno solo sale hujus mundi primogenito, æthereo, ex solo, qui hujus salis abundantis- simum mare est, originem habente, universalissimo, sim- pli-

plicissimo & spirituosissimo Acido, sint progenita, * per
varias artes opificumque labores sustinent.

Ex aquæ fontibus minerisque salinis ad *Terreas* progredientibus ne in his quidem nos deserit utilitas chemica & optime de se sperare jubet. Novit id *Agricultura*, quæ ad insignem perfectionem terræ melioratione chemica à Britannis primo, tum à Germanis nostris, atque à Gallis tandem, hodie, licet fero, ad utilissimam philosophiæ universalis partem attentis est perducta. Non provocabo ad scriptores geoponicos, georgicos, rusticos, quorum pars ipsi sunt veteres, experientia magis & usu, quam artis cognitione instructi; ipsa Acta societatum philosophicarum, Londinensis, Parisiensis, Berolinensis, Petriburgicæ, Svecicæ, & recentiorum aliarum, quas hic nomine enarrare non juvat, tum privatorum hominum multorum observationes, in collectionibus philosophico-physicis variis exstantes, testimonium nobis exhibent æquissimum, examinatas potissimum terrarum qualitates & commixtiones chemicas in melioratione agrorum, pratorum, vinearumque, & promovenda eorum felicitate utramque facere paginam. Quod dignissimum sane commendandæ chemicæ utilitatis argumentum est, eo, quod non universalius publicæ utilitatis specimen est, quam quod agriculturæ & vegetationis theoria suppeditat. Attamen de hac nobilissimæ utilitatis chemiæ parte plura dicere properantem ad exitum oratio impedit. Jubemus autem, ut dictis fides constet, harum rerum curiosos ea legere, quæ haud ita pridem ex Medicis *Edimburgensibus* vir chemicæ artis & operationis experientissimus, FRANCIS. HOMIUS, occasione præmii, quod societas *Edimburgica*, perficiendis artibus & opificiis se applicans, omnium optime de principiis vegetationis & agriculturæ differenti promiserat, tradidit, * quæque digna æsti-

* Vid. diss. Frid. Hoffman de generatione salium.

æstimo, ut ad augendas terrarum ipsorumque tum Principum, tum subditorum, divitias in usum traducantur. Quod eo facilius fieri poterit, cum in vernaculam nostram dissertatio hæc utilissima ad communem germanorum usum traducta sit. ** Recte vir doctissimus experientia sæpe repetita perspexit, corpora organica omne vegetationis & augmenti initium & incrementum accipere ex receptione particularum, quas ad rerum nutritionem destinavit manus Creatrix providentissima. Ita plantas omnes, quæ sunt corpora organica, pro ratione nutrimenti è radicibus hausti incrementa capere, adeoque ad nutritionem plantarum earumque vegetationem cuncta quoque in agricultura, quæ hæc comprehendit, redire; omnia itaque ad hoc unum instruendum paranda esse; fieri autem hoc non posse, nisi soli hujusvis naturam cultor intelligat, &, an nutrimenti capax sit, nec ne, perspiciat, nisi necessaria nutriendo alimenta intelligat, nisi ipso actu plantis eam nutritionis vim inducat, eas leviores & mobiliiores reddendo, nisi omnia quantumpote, nutritionis impedimenta removeat. Hæc vero pleraque chemicæ artis subsidiis intelligi & parari posse diligentissimus ille agri scrutator rationibus & experimentis chemicis tanta evidentiae claritate demonstratum dedit, ut non solum promissum præmium meruerit, sed communem ejus theoriam quoque nostri Germani fecerint, ex Gallis autem & Italis TURBILLIUS *** Patullus **** aliique eadem prefferint vestigia. Qua sufficere posse puto, ut intelligatur, quantum ad *agriculturæ* emendationem & utilitatem *chemia* afferat.

Jun-

* *Principes de l'agriculture & de la Vegetation.* à Paris 1761.

** Vid. *Oeconomischer und phisikalischer Abhandlungen*, sechzehnden Theil.

*** *Memoire sur le defrichement*, par Mr. le Marquis. de Turbillii. Amst. 1761.

**** *Essais sur l'amelioration des terres.* Paris 1758.

Jungere his jam possem alia multa ad *utilitates œconomicas* ex chemicis observationibus redundantia, sed copia obruor, temporis spatio destituor. Itaque digito tantum ostendam, qui mihi campus adhuc emetiendus esset, si pro dignitate atque copia argumenti esset dicendum, quam utilitatem œconomica præ se ferat applicatio. *Potulenta* maxime respicio, nutritioni & Refectioni nostræ, *humidique*, quod veteres agnoverunt atque appellaverunt *radicale innatum*, conservationi & restaurationi à Numine destinata, *Zymotechniam*,* *Ampelographiam*,** *Zythopoeiam*,*** infusionem fabarum Arabicarum & Americanarum, quæ Caffææ atque Chocoladæ nomine adeo celebrantur tantoque ardore dicam, an intemperie, à summis & imis hauriuntur, vinorum naturam, culturam, Spirituum, quos vocant, ardentium distillationes, & quæ alia ad œconomiam pariter, atque sanum victus habitum, possunt referri. Nam hæc omnia, si recte æstimentur, producta exhibent chemica particulisque resinosis, gummosis, terrestribus, salinis aquæ innatantibus referta, nec quoad naturam partesque constituentes, nec quoad usum, quem ad nutriendum reficiendumque corpus humanum conferunt, intelligi possunt, & quo pacto immoderatus abusus, quo tot hominum myriades misere consumuntur, queat vel tolli penitus, vel sobrie emendari, inspicere, nisi præeat fax chemica. Quam cum elegantissimis de his potulentis *prælectionibus chemicis* ad solidam rerum sic dictarum *non naturalium* cognitionem adspirantibus prætulerit celeberrimus NEUMANNUS regius chemiæ doctor & pharmacopæus Berolinensis, in ejus luce eis ambulandum est, qui, præter ANDRÆ BACCHII, PHILIP. JACOB. SACHSII, FRANC. ERN. BRUCKMANNI,

&

* Id est *frementationem*.

** Seu *vini culturam* & *potum*.

*** *Cerevisiæ Coctionem*.

& HEN. MEUBOMII de Vino & Cerevisia scripta, ea nosse cupiunt, quæ propius Chemiam tangunt, quæque nostros jam cancellos refugiunt. Nostros autem heic Cives Bavariae incolas in partes vocandos esse puto. Nostis enim, VIRI PRÆSTANTISSIMI, quam occupationis partem in œconomia civili terrarum nostrarum *Zythopœia* tueatur, quæ emolumenta ex parte ad Principem, & ex parte ad subditos, inde redeant. O si hominibus nostris lux chemica affulgeat, ut apertis intelligant oculis veram condimenti istius, quod ad Cerevisiam adhibetur, *Lupuli*, rationem, benevolum Numen nostris quoque terris id tribuisse, habereque *Lupulum Bavaricum* easdem partes constitutivas Resinosas, gummosas, & salinas, ad quas omnis ejus usus redit, cum *Lupulo* Anglico vel Bohemico, unumque id impendium requiri, ut ex patrio *Lupulo* tantum addatur, quantum ad condimentum illud efficiendum sufficiat! Ita magno certe æri parceretur.

O fortunatos, sua si bona norint, Agricolas!

Adderem *Tabaci* historiam chemico, non solo œconomico, igne digni & per omnes fere orbis partes celebrati, si vestra patientia, Auditores, liceret abuti. Ast cum nimia erga me hætenus differentem fuerit, vento nimium secundo vela contraho, & ad ultimum chemiæ conclave propero, vel tribus verbis, quam eximiam utilitatem chemiæ operationes Encheireses, & Consilia in *Mechanicis* atque *opificiariis artibus* præbeant, expositurus. Ast quis iterum patentis campi circulus! quot artes, *pictoria, fabrilis, vitriaria, gemmaria, tinctoria*, & quæ hodie inter præclaras mercatorias merces numeratur, pannorum *Xylino- & Gossypinorum* diversimoda & multifaria *pictura* ad ingenii usque humani fastigium evecta in altum, quot enchireses chemicas exhibent! Quæ artes omnes, quicquid in illis mysterii est, quo artifices & opifices isti superbiunt

&

& lucra sibi parant ingentia, divitiasque haud exiguas corradunt, casu quidem nonnulla, pleraque experientiae, tentamini & Empiriae debent, fundamenta autem, quibus perficiuntur, *Chemica*. Ostendit id, ut ad fontem unum atque alterum exempli causa Vos dimittam, ANTONIUS NERIUS, doctissimo *de arte vitriaria* commentario, & BONANNUS, *Jesuita*, pulchra *de vernice* tractatione, luculentius id ostendit ipsa praxis attento & armato chemiae oculo. Quod qui negat, eum ad prata amoenissima ablegamus, in quibus non magis florum naturalium color, quam artificiosorum in panis illis depicta facies, naturalem elegantiam fere superans, solis radiis, quorum illustrationi in aprico expositi sunt, ad pulchritudinis perfectionem elevatur. Nam dilectae & commixtae inter se colorem vicissitudines, quorum pigmenta Regnum naturae *vegetabile*, *animale*, & *minerale* suppeditat, ars vero chemica, mechanica tinctoria, quam artifices isti per solam experientiam discunt & tanquam opificium exercent, praeparat & applicat, tantam lani & lino impressae jucunditatem & elegantiam conciliant, ut mirum non sit, æmulos Indorum Europæos nostros hac arte adeo excellere, ut, si ulla alia res mercatoria, hæc ipsa, dummodo non vitiata, nec maculis deturpata, aut vitiositas non primo statim aspectui obveniat, facile & cum quaestu vendibilis sit, divitiasque, ceu exempla prostant, haud exiguas polliceatur, & revera conferat. *Vitrorum* autem *vasorumque fictilium pingendorum*, atque *encaustorum* artificia regia quoque gazophylacia ornant, &, quæ auxilia, ignis ope è materie metallica atque vitrea, & sale alcalino fixo formata, à Chemia accipiant, pulcherrimis speciminibus admirationem provocantibus loquuntur. Quæ in re ad egregia vasorum murrinorum artificia, *porcelana* vocantur, chemica arte subnixæ, eo confidentius provoco, quo pulchrius ipsa nostra Bavaria eorum specimina, Autore & Promotore Illustrissimo Præsidente hujus Academiae primo, ad distitas quo-

que regiones disperfit. Verum de his indiferto ore loqui artis est culpae pulchritudinem ingenio foecundam, acquirendis divitiis aptam. Itaque ad immortalem *Chemiae rationalis & experimentalis* doctorem Herman. Boerhaviu, vos ablego, pulchre, quod solet, atque solide hos chemicae artis usus inter artificia & opificia receptos enarrantem, qui, nisi me cuncta fallunt, quae Summis tantum digitis tetigi, manifestis exemplis demonstravit.

Prætereo ea conamina, quae operationibus suffulta usibus humana metalla applicant, perficiunt, novasque species excudunt, qualem esse *aurichalci* speciem ex *aere* & *zinc* conflata, quod *Metallum principum* vocant, & deauratum obrizi auri splendorem mentitur, item aliam, quam *Tomback*, iterumque aliam, quam *Binspeck* nominant, ipsi nostis. Prætero etiam usum eximium, quem tam artificibus, *separatione* & *purificationi auri atque argenti* quæstum suum facientibus & colentibus, præstat *Chemia docimastica*, ad separanda metalla ista nobiliora inter se mixta, aut cum ignobiliore metallo commixta, quam præsertim in *re nummaria* monetariis & monetarum exploratoribus, ad examinandam probitatem, vel improbitatem monetarum & nummorum, aurique aut argenti monetalis, quod, *Basin* seu materiem principalem, vulgo *Korn* vocant, proportionem cum additamento metalli vilioris, hoc accessorium in vernacula appellant *Schrot*, iustumque iis pretium statuendum, aut numos & monetas viles, non ad normam legum imperii & initæ conventionis excusas, reprobandas & proscribendas. Quis non ea omnia, quae enarrari hoc loco non possunt, infinitas humano generi utilitates præstare fateatur, omnium studiis, præcipue vero Principum gratiæ atque patrociniis, commendanda? Quis non laudes eorum canat, qui chemiæ præfidiis suffulti novas identidem humano generi utilitates spondent, & experiendo, tentando, meditando, ad perfectionem perducere laudatissimos conatus allaborant, maxime

xime si ad communem usum, ad terrarum atque regionum felicitatem, ad vitæ commoditates, ad acquirendas subditis opes, prudenter dirigantur? Tales sunt qui laudabilia virorum chemica cognitione excellentium studia hodie provocant, *edulcandæ aquæ marinæ* atque ad fontanæ dulcedinem revocandæ toties apud Britannos insignibus præmiis provocatus labor; carbonum fossilium seu *Lithantracum* non ad meliorem tantum & præstantiorem usum œconomicum, sed chemicum quoque, & producenda corpora physica chemiæ beneficio præparatio valde proficua quæstumque insignem promittens, & ad parsimoniam lignorum hodie tantopere necessariam præclare faciens; *lignorum atque Sylvarum serendarum contentio*; terræ bituminosæ, five fomitis cespitii, quem *Torf* nominare solemus, quæstuosa magis præparatio & arboretorum parcendorum curam directâ prudentia; & similia, quæ proximorum annorum studia chemiæ potissimum auxiliis suscipere ausa est humana industria, &, quasque naturæ divitias felix nostra, si bona nostra recte intelligimus, etiam suppeditat Bavaria. Quod si autem nova non produnt conatus labore pleni, efficiunt tamen, ut, quæ terræ in artium geographia adhuc sint incognita, quæ frustra sint promissæ, quæ inani jactantia non sine humani generis damno, impudentia promiserit, quidque futurorum temporum felicitati & utilitati adhuc sit sperandum, inde constat.

Verum quo delabor? quo me rapit vis enthea admirationis plena, ubi tot & tanta emolumentorum ac utilitatum decora summis tantum capitibus delibata attento intueor oculo! Quid non enarraverit vel disertior lingua, vel ad prolixiorem dissertationem tempore viribusque orator instructior, adeo, ut exitum orationis inveniri vix liceat. Ast majora me occupant & dies hodiernus, quem faustum felicemque esse jubeat Patri patriæ optimo, Serenissimo Stemmati Bavarico, aulæ, civibus, subditis, LUX SERENISSIMO MAXIMILIANO

JOSE-

JOSEPHO, ELECTORI dominoque nostro indulgentissimo, sacra vel ob hoc quoque beneficium thura postulat quod sapientissima ejus voluntate non tantum res medica per amplissimas electorales provincias talo subnixā chemico firmiter persistet sed nostra quoque Academia scientiarum sub tanti protectoris alis jubeatur ad hos utilitatis ex chemia publicæ fontes, quanta licet, industria attendere. Ex eo enim spes est, fore, ut novis incrementis & lætissimis successibus ad erigenda patriæ solatia & commoda usurum sit necessarium ac utilissimum chemiæ physiciæ, medicæ, œconomicæ, mechanicæ, halurgicæ, metallurgicæ & docimasticæ studium, ut novæ quotidie detegantur naturæ divitiæ, largiores opes porrigant metallifera dinæ tanto sub moderamine sapientiæ multitarie Illustrissimi Præfecti florentes, lætius scaturiant salinæ, fertiliori semper proventu beet agricolam ager, augeantur artificum labores lætissimis successibus utantur opificia, & ex his omnibus perennis tanti Principis felicitas redundet. Et hæc quidem votorum hodie nostrorum summa est, ob hoc pietatis thura numini adolemus, ut ad ferissimos humanæ conditionis annos incomparabilis Principis vita, cumulata omnibus, quæ excogitari possunt, cœli muneribus, perduret, ut Serenissimi Conjugi solatia inde ubertim fluant, ut immortalis maneat domus Bavaricæ felicitas. Ita quoque eveniet, ut sub hoc numine divinum munus, chemia, novo auctoque patrocinio in numeros inter cives & subditos utilitates possit spargere, & hac sapientiæ naturalis tuba ad distitas etiam gentes emanet Bavarici nominis fama, gloria & exultatio. Quod inscribere hoc pacto æternitatis albo cum vestra, Illustrissime Domine Præses, Virique Summi, in hujus Academiæ contentione versetur industria, favens ego Numen, faventem Patriæ Patrem, faventes Musas, faventissimosque Successus toto animo exopto.

D I X I.